



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Neuburgense monialium, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

*Iste est hac ipsa fundator in æde sepultus,  
Cujus apud te animam, Christe redemptor, habes,  
Christe, Patrem bene qui pro nobis omnibus oras,  
Nosq; redemisti à morte cruore tuo.*

**In Abbatiam Nerisheimensem.**

*Carolus hic Quintus, Romani gloria regni,  
Exiguas inter prandia sumsit opes,  
Cum Smalcaldenses victor fugasset acer vos,  
Atq; ducem peteret, Saxonis ora, tuum.  
Id Schweighofferò factum est regnante Joanne,  
Abbate imprimis ingenuo atq; bono.  
Cui Cæsar dextram præbens, promisit eidem  
Clementemq; animum præsidiumq; pium.  
Vivat Carolus, æternosq; super sit in annos,  
Et totum orbem habeat sub ditione sua.!*



**N**EUBURGENSE monialium, generis nobilitate conspicuarum, insigne coenobium Augustanæ diceceeseos, ordinis S. Benedicti, in ejusdem nominis elegantissimo oppido tribus miliaribus supra Ingolstadium ad Danubium principem fluviorum Germaniæ situm, de cujus primordiali fundatione (est enim antiquissimum) vix certi quiddam afferre possum: nam & Episcopatum olim illic floruisse, ex veteribus monumentis liquet: de quo aliquid in nostro opere de Germaniæ Episcopatibus instituto copiosius, ut spero, afferemus. In monialium vero domicilium (post translata aliò sedem Episcopalem) conversum ac fundatum esse legitur à S. Henrico Imperatore Claudio & ejus conjugè Diva Chunigunde Palatinissa anno Domini 1007. ad preces Hilarii, Episcopi cujusdam Pannonici & Cancellarii Imperatorii, qui miraculis clarus in ejusdem coenobii templo ferè medio, honorifico Mausoleo (quod hodie adhuc faxeam Episcopi imaginem ac statuam incisam & exculptam præ se fert) humatus dicitur. Nominatum est & coenobium & oppidum, Neuburgum, quasi novum castellum, ad alterius differentiam,



rentiam, cujus rudera & vestigia hodie adhuc accolæ veteris Castellii nomine appellare solent. Abbatissarum ejus loci talis à me collectus & confusus est catalogus, quem tamen mancum esse, non dubium est.

- |                          |                                      |
|--------------------------|--------------------------------------|
| 1. <i>D. Rutrudis.</i>   | 6. <i>D. Rilindis.</i>               |
| 2. <i>D. Ita.</i>        | 7. <i>D. Agnes.</i>                  |
| 3. <i>D. Mechtildis.</i> | 8. <i>D. Sophia.</i>                 |
| 4. <i>D. Hademodis.</i>  | 9. <i>D. Guta.</i>                   |
| 5. <i>D. Gerbildis.</i>  | 10. <i>D. Chunigundis de Salern.</i> |
11. *D. Anna Pferingerin* præfuit anno 1444. quo vitam S. Hilarii, etsi materna tantum & Germanica lingua, scripsit ad Ludovicum Palatinum Rheni, Ducem Baviariæ & Comitem in Graispach. Hæc legitur decessisse ex hac vita mortali anno 1451.
12. *D. Elisabetha Lentershofferin* præfuit ante reformationem.
13. *D. Barbara Brunnerin*, author & inducatrix reformationis, anno Domini 1465. à quo præfuit 21. annis. Obiit anno Domini 1486. in ambitu sepulta.
14. *D. Anna Gurin*, nobilitate & generis & virtutis illustris Domina, præfuit annis 23. Resignavit officium anno 1509. Vixit adhuc 8. annis. Obiit anno gratiæ 1517.
15. *D. Margareta*, inclyta Baviariæ Ducissa, Illustrissimi principis Georgii cognomento Divitis filia, ex Altenhohenaw prope Wasserburgum Baviariæ civitatem sito coenobio evocata, <sup>Alten-</sup> <sup>hohenaw-</sup> <sup>cœnob.</sup> huic præfuit anno 1509. Præfuit annis 12. & resignans anno 1521. per decennium adhuc vixit. Obiit vero in diatrium Regum anno Domini 1531. in medio templo Neuburgensi honorifice sepulta prope S. Hilarii Episcopi tumulum.
16. *D. Eugenia Maiselbergerin* eligitur anno 1521. Præsudet 10. annis. Obiit eodem anno, quo Ducissa Margareta inter mortales esse desit, videlicet 1531.
17. *D. Hilaria Egnina*, ex Dinckelspühelio nata, successit Dominae Eugeniæ. Præfuit 7. annis. Obiit anno Domini 1538. Sub ejus gubernatione coepit Illustrissimus Princeps ac D. D. Otho Henricus Palatinus, Ruperti filius, renovare & ex imis fundamentis de novo construere & maximis sumptibus præclarissime



*Arx Neuburgensis* sine illustrare arcem Neuburgensem, cœnobio penè contiguam, cujus encomion scripsi ego prolixo carmine elegiaco anno ætatis meæ 20. in quo omnium Palatinorum ac Baviaræ Ducum, ex Wittelsbacensi Othone originem fumentium, res gestæ celebratæ sunt.

18. *D. Ursula à Seubelstorff*, Bavara, eligitur anno Christi 1538. Præfuit annis 8. Sub ejus gubernatione exarsit in Germaniis bellum civile Schmalchaldicum contra Imper. Divum Carolum V. in Bavaria primum ad Ingolstadtum geri cœptum, cujus metu, & quod pestis etiam à militibus allata grassaretur Neuburgi, secessit cum conventu suo Laugingiacum, quod oppidum Palatinorum est supra Donawerdam ad Danubium situm, *Alberti Magni*, Philosophi ac tandem Episcopi Ratisbonensis, natale forum. Ibi delituit, donec urgentibus rebus Schrobenhusium (aliud id oppidum Bavaricum est, medio ferè itinere inter Ingolstadtum & Augustam Vindelicam situm) concedere cogeretur, ubi ex hac mortali vita decessit in die S. Cœciliæ anno 1546. Sepelitur in cœnobio Scheurense.

*Albertus Magnus*. Magni, Philosophi ac tandem Episcopi Ratisbonensis, natale forum. Ibi delituit, donec urgentibus rebus Schrobenhusium (aliud id oppidum Bavaricum est, medio ferè itinere inter Ingolstadtum & Augustam Vindelicam situm) concedere cogeretur, ubi ex hac mortali vita decessit in die S. Cœciliæ anno 1546. Sepelitur in cœnobio Scheurense.

*Scheurense cœnob.* Sepelitur in cœnobio Scheurense. Circa hæc ipsa tempora oppidum Neuburgense cum toto circumjacente territorio & aliis aliquot oppidis Palatini Othonis Henrici, videlicet Hochstadio, Gundelstingiaci, Laugingiaci, Monheimio ac aliis, à victoriosissimo Imperatore Divo Carolo V. occupatum, Domino Georgio Zorenio de Bulach, Illustri viro ac Equiti aurato gubernandum committitur, qui hoc adhuc currente Jubilæo Imperatoriæ Majestatis locum tenens feliciter præsidet & oppido huic & toti ditunculæ Principis Othonis Henrici, qui effervescente bello, metu Cæsaris, Heidelbergam ad Principem Electorem secesserat, ubi hodie adhuc vivit studiis & historiarum & antiquitatum totus deditus, quorum per omnem vitam longe fuit amantissimus.

*Palatina-tus à Cæsare occupatur.* Circa hæc ipsa tempora oppidum Neuburgense cum toto circumjacente territorio & aliis aliquot oppidis Palatini Othonis Henrici, videlicet Hochstadio, Gundelstingiaci, Laugingiaci, Monheimio ac aliis, à victoriosissimo Imperatore Divo Carolo V. occupatum, Domino Georgio Zorenio de Bulach, Illustri viro ac Equiti aurato gubernandum committitur, qui hoc adhuc currente Jubilæo Imperatoriæ Majestatis locum tenens feliciter præsidet & oppido huic & toti ditunculæ Principis Othonis Henrici, qui effervescente bello, metu Cæsaris, Heidelbergam ad Principem Electorem secesserat, ubi hodie adhuc vivit studiis & historiarum & antiquitatum totus deditus, quorum per omnem vitam longe fuit amantissimus.

19. *D. Magdalena Hinttina* de Lautterbach, Bavara & genere & virtute nobilis, eligitur in Abbatissam Neuburgensem anno Domini 1547. ipsa die S. Pancratii. Præsidet feliciter ac laudabiliter hoc adhuc currente anno 1551. quo & hæc hæctenus dicta, & sequens illud foundationis suæ diploma ab Henrico Imperatore (cujus manibus scriptum originale ipsa mihi etiam ostendit) datum



tum, clementer ad hujus monastici operis exædificationem communicavit, cui te, lector optime, debere memineris, siquid inde voluptatis perceperis.

In nomine Sanctæ & individuae Trinitatis. Henricus divina favente Clementia Rom. Rex. Si Ecclesias Dei in augendo exaltaverimus, æternæ remunerationis emolumentum nobis inde profuturum, neutiquam diffidimus. Quapropter omnium S. Dei Ecclesiæ fidelium, præsentium scilicet & futurorum novæ industria, qualiter nos tam pro nostræ, quam prædilectissimæ contestalis nostræ, Chunigundæ videlicet Reginæ, animæ remedio, sanctæ Neuburgensis Ecclesiæ sororibus sub S. Benedicti regula degentibus quædam nostri juris prædia taliter donantes proprietamus in augmentum stipendiorum, situm in comitatu Graispach scilicet Tagmarheim cum nemore, & Möringen situm in Comitatu Hirsperg, nec non Zell situm in Comitatu Neunburg cum omnibus ejusdem prædiorum attinentiis & appendiciis, videlicet Ecclesiis, villis, arcis, ædificiis, mancipiis utriusq; sexus, terris cultis & incultis, quæsitis vel inquirendis, vis & invis, exitibus & redditibus, pratis, pascuis, compascuis sive apium pascuis, silvis, faginis, aquis, molendinis, piscationibus, cæterisq; omnibus, quæ rite dici vel scribi possunt, quolibet modo utilitatibus & appendiciis. Præcipientes igitur regali autoritate jubemus, quatenus benedicti semper gregis moderatrix sive Abbatissa tam præsens, quam etiam præfutura, liberam dehinc habeat potestatem antedicta prædia tenendi, possidendi, colendi, ædificandi, advocatum supraponendi, seu quicquid sibi liceat modis omnibus ad usum sanctimonialium in prælibata Neunburgensi Ecclesia Deo monachicè servientium faciendi. Et ut hæc nostræ traditionis seu donationis majestas stabilis & inconvulsa permaneat, hanc chartam inde conscriptam manu propria roborantes sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

Eberhardus Cancellarius vice Willigisi Archicancellarii recognovi.


Data XVII. Kalendarum Maij, Indictione V. anno Dominicæ

Xx

nica



nicæ Incarnationis M. VII. Anno vero D. Henrici II. regnantis V. acta sunt hæc Ratisbonæ feliciter, Amen.



**O**CHSENHUSIUM, hac nostra ætate præclara & opulenta Abbatia, Benedictini instituti monachorum, in amoenissimo fertilissimoq; Sueviæ agro, duobus miliaribus à Memmingiaco, totidemq; ferè à Biberaco

*S. Blasii  
Cœnob.*

ad Rodium fluvium, qui postea Danubium infuit, S. Blasii præpotenti Hercyniæ sylvæ monasterio incorporata. Id cœnobium à quibus cœperit construi, ignoratur. Hoc vero ab ejus loci cœnobitis dicitur, fuisse in perveteri S. Conradi sacello (quod hodie adhuc est in monasterii ingressu, ubi nunc est cœmeterium publicum) antiquitus monialium congregationem, quæ in bellis quibusdam tumultibus misere vexatæ, mandatis prius terræ rebus pretiosioribus & charissimis, inter quas particula etiam S. Crucis erat & aliquid S. Georgii, redeundi spe pacatis rebus, in exilium abiere, in quo cum mortuæ etiam essent omnes, defuit cœnobium & corruit plane habitatio monialium, donec postea

*Bos the-  
saurum in  
terra ab-  
sconditū  
aperit.*

*Goldbach*

*Ochsen-  
husium  
unde di-  
ctum.*

*Otto de  
Columna  
creatur*

*Pontifex*

*Ochsen-  
husium fit  
Abbatia.*

*loci*

bos quidam arator venit, qui calcibus pedum terræ tam diu insultans fodit, donec & clinodia & alia terræ mandata à mulierculis ornamenta aperirentur & conspicerentur: quæ cum ad circumjacentis vicinæ Dominos, Nobiles viros, Hatowinum, Conradum & Adelbertum, fratres de Wolffhartschwendin in vicinis castris Burgbergo & Hohenburgo, circa Goldbachium templum, ab aureo quodam annulo, quem ibi nobilis quædam Domina à Wolffhartschwendin amiserat, sic dictum habitantes portata pervenissent, mox illi unanimiter consentientes restituendum hoc cœnobium existimarunt, & illico negotium aggressi locum à monstratoris bovis nomine Ochsenhusium appellarunt: ubi præposituram construens S. Blasii Abbati eam subdiderunt, sub cujus dominio fuit cœnobium hoc ad tempora usque Constantiensis Concilii. Tum enim Otho de Columna, Cardinalis sedis Romanæ, Constantiam petiturus, cum Ochsenhusium transiret & illic aliquot diebus quiescens humaniter ab ejus